



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De monacho, quem sancta Maria deosculabatur ante mortem, cap. 51.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

fit super mel & fauum. APOLLONIVS : Ut quid apposi-

**Ecclesi. 24** tum est , Hæreditas eius super mel & fauum? CÆSARIVS:

Repetitio , cōfirmatio est; quod hæreditamus, hoc frequetamus: in fauo cera est & mel; & cera, qui tenax est, pertinet ad memoriam; mel exprimit dulcedinem: non nisi per iugem memoriam nominis genitricis Dei , præmissa dulcedo poterit adipisci: cera enim illuminat, mel cibat & inebriat . Nomen Matris in compositione odoris factum opus pigmentarij. In

**Ecclesi. 49** omni ore quasi mel indulcabitur, & vt musica in coniuicio vini. Vtrumque enim, illuminationem scilicet & refectionem, sancti eius nominis inuocatio operatur, sicut in supradictis ostensum est exemplis. APOLLONIVS : Ex quo tanta bona per nomen beatæ Virginis conferuntur peccatoribus & iustis, de cætero memoriae meæ tenacius inhærebit. CÆSARIVS: Hoc si feceris, in fine tuo cōsolationē eius experieris . Quod verò morientibus assistat, eisq; suam mellifluam presentiam ostendat, prestò sunt exempla.

## C A P V T L II.

**B. Virgo  
mortuorum  
bus assi-  
stet.  
kal. Pu-  
merane.**

**I**N domo quadam Hispaniæ ordinis nostri , que \* Pumanne vocatur, duo adolescentes sunt cōuersti, & tam laudabiliter in ea conuersati, vt vita illorum esset alijs in exemplum: ex quibus unus in obsequio beatæ Virginis ita feruens extitit ac deuotus, ita in horis eius decantandis morosus & intentus, vt non solum in singulis versibus, sed etiam in singulis verbis memoriam ipsius haberet , sicque horam horæ cum maximis laboribus penè cōtinuaret. Qui cùm annos decem & septem fecisset in ordine , grauiter infirmatus est, & ministrauit ei socius suus ex licentia Prioris: sciens eum virum sanctum, & in seruitorio Dei genitricis deuotissimum , vt aliquid sibi diceret ad ædificationem intuitu mutuæ charitatis flagitauit ; cui cùm ille nihil negare posset, nec vellet, respōdit : Heri Domina nostra visitauit me , & quia die septimo ad Dominum sum migraturus, prædixit & adjecit. Quia p̄t cunctis mortalibus mihi intentiū seruiuisti , & ego tibi faciam quod nondum alicui feci; collumque meum

meū brāchij suis stringēs, dedit mihi osculum. APOLLONIVS: Hæc legentibus, oriri potest scrupulus, quia superiū dictum est capitulo tricesimo tertio, q̄ tentato osculum dederit. CÆSARIUS: Visio ista, illa tempore præcessit. Cùm autē agonizaret die & hora prædicta vir sanctus, Prior dormiens, cellā in qua iacebat, turbam cādidatorū introire vidit, qui se propter animam illius deducendā aduenisse dicebant. Statimq; ad percussionem tabulæ excitatus, surrexit & accurrit, & quia cœlestis esset exercitus, à quibus deuotus genitricis Dei famulus foret deducēdus, minimè dubitauit. Hæc dominus Arnoldus Abbas Cisterciensis Treueri positus, multis recitauit, dicens veraciter in domo, in qua priūs Abbas fuerat, gestum.

## C A P V T L II.

**I**N Clauſtro, quod vulgari nomine Hemmenrode dicitur, Conuersus quidam fuit vocabulo Hermā-nus, nemorali aratro cuiusdam grāgiæ deputatus: erat autem sincerissimæ vitæ, & multas à Domino consolationes secretò percipiebat, ex quibus per pauca ad nostram peruererunt notiriam. Is in officio suo habebat inter alios boues, iuuencum ferocem ac superbum, quem ad opus vix ac nullatenus sine magno labore adducebat: hunc ergo cùm vice quadam iugo veller colligare, & modis omnibus recalcitrantem nequiret compescere, cōmotus animo in siluā diuer-tit, & fustē ad rebellē taurum feriendū incidit: cui minaciter cum vēte venienti, nescio quo spiritu ductus, taurus occurrit, pedibusque eius prostratus, licet non verbis, gestu tamen humiliati corporis veniam flagitauit. Quo viso vir Dei placatus ait: Misericordiam quāris, misericordiam tibi non denegabo, surge, & caue ne me de cātero inquietes. Ab illa autem die taurus idem omnem depositū feritatē, adeò ut in gratia mansuetudinis nullo coningalium suorū inueniretur inferior. Idem frater alio tempore, cùm diuinis laboribus fatigatus, post completorium paſſaturus in suo strato ſe collocasset, ſubitò recordat⁹ eſt quōd ipſo die vnam horam, quam decantare solebat

F f

in